

addi potest, nos obligari ut non multo tempore ab aboratione stineamus, v. g. ad mensem unum vel alterum, quia est signum magnæ negligentie sue salutis. Porro in his casibus, quibus oratio ad aliquod malum avertendum videtur necessaria, ejus omissio non est peccatum, nisi quis aliquo modo advertat suam obligationem: alioquin omissio non censebitur voluntaria ut est contra præceptum; unde nec ad culpam imputabitur. Quando autem est culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam distinctam ab illo peccato: nam solum est mala, quia est interpretativa volitio illius peccati.

DUBITATIO IV.

DE ADORATIONE ET SACRIFICIO.

23. *Adoratio* duplíciter accipitur: primo, generatim, ut complectatur etiam sacrificium et oblationem. Sic Joan. 4. v. 21. *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem;* nempe per sacrificium. Nam de loco, ubi Deo sacrificium offerri deberet, quærebatur Samaritana: de eo enim erat quæstio inter Judæos et Samaritas. Sic sæpissime accipitur in Scripturis.

Secundo, proprie, et sic nihil est aliud quam *honor externo corporis gestu exhibitus*, ut genuflexione, capitis apertione, inclinatione, osculo manus et pedum, corporis in terram prostratione, etc. his enim et similibus modis alios honoramus; testamur enim nostram submissionem et alterius excellentiæ. Itaque *adoratio* proprie consistit in externo illo gestu, quatenus est signum internæ estimationis, reverentiae et submissionis erga alterum, et consequenter illius quoque excellentiæ.

Notandum est etiam, omnem externam *adorationem* secundum se esse adiaphoram, et posse tam creaturis quam Deo exhiberi: nam genuflexio, et totius corporis in terram prostratio (quæ summae videntur adorations), etiam hominibus exhiberi solent; ut ex Scripturis patet, Genes. 43. v. 18. et 30. v. 26. L. 3. Reg. 1. v. 31. L. 4. Reg. 4. v. 7. Actor. 10. v. 23. Itaque a sola intentione pendet, quod per hæc, ista vel illa honoris species deferatur. Si enim externa illa submissionis nota intendas te alteri submittere tanquam Deo, et testari ejus divinitatem, erit cultus latræ; si ut amico Dei, erit duliæ; si ut viro sapienti, potenti, erit observantia politica. Unde idem actus externus, quatenus successive potest procedere a diversa intentione, et accipi ut signum diversæ excellentiæ in honoratis, et diversæ estimationis, reverentiae et submissionis in honorante, potest successive esse actus latræ, duliæ, et observantiae politiciæ.

24. Certum est et fide tenendum, neque omne opus bonum, neque omnem oblationem esse verum et proprie dictum sacrificium.

Prob. 1^a. pars I. Quia apud omnes gentes sacrificium est aliquod opus speciale, cuius laus in eo sita est, quod per illud colatur divinitas. Nam, ut D. AUGUSTINUS L. 10. de Civ. c. 4. ait: *Nemo unquam sacrificandum censuit, nisi ei quem aut Deum scivit, aut putavit, aut finxit.* Hoc autem non convenit cuivis operi bono, ut jejunio, eleemosynæ; hæc enim per se nullum cultum præ se ferunt, sed solum castigationem carnis, et beneficentiam in proximum.

II. Quia ad sacrificium requiritur sacerdos, et altare. *Sacerdos* quidem, quia offerre sacrificium est proprium munus sacerdotis, ut constat ex Apostolo ad Hebr. 5. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia.* Hinc Ozias rex, cum non esset sacerdos, et sacrificium offerre vellet, à Deo punitus fuit; quia officium sacerdotibus proprium usurpavit, 2. Paralip. 14; et Saül ob eamdem causam a Deo rejectus et privatus regno, 1. Reg. 13. Conf. ex nominum affinitate; nam apud Latinos sacrificus et sacerdos idem valent: et apud Græcos ἱερεὺς, sacrificare, dicitur ab ἱερεὺς quod sacerdotem significat: unde perspicuum est, sacrificare esse proprium sacerdotum.

Altare requiri constat, tum usu omnium gentium; tum ex Scripturis, ubi altaria non leguntur erecta, nisi ad usum vel ad significationem sacrificii. Nam etiam illud filiorum Ruben et Gad, de quo Jos. 22., erectum fuit ad sacrificium, non quidem ut in illo offerretur; sed ut per illud posteritati significant se habere jus offerendi sacrificii cum reliquis tribubus, quæ transierant Jordanem: tum denique quia altare nomen habet a sacrificio, apud Græcos et Hebræos; græce enim altare dicitur θυσιαστήριον a. θυσίᾳ, quod sacrificium significat: et hebraice altare dicitur Mizbeahh a Zebahh quod sacrificium denotat.

III. Si omne opus bonum esset sacrificium, omnis homo jure naturæ proprie esset sacerdos; quia jure naturæ obligatur ad opera bona: atqui id est absurdum et contra commune iudicium generis humani; sic enim nascuntur sacerdotes, non consecrabuntur, et femineæ sacerdotes erunt.

Prob. 2^a. pars I. Quia Scriptura passim distinguit oblationes a sacrificiis. Ps. 30. *Oblationes et holocausta.* Ps. 39. *Sacrificium et oblationem noluisti.* Ad Hebr. 5. *Ut offerat dona et sacrificia.*

II. Quia multa in Scripturis dicuntur offerri, quæ tamen non possunt dici sacrificari; ut primogeniti, primitiae variarum frugum, aurum, argentum, lapides pretiosi, byssus, et similia. Vide Exod. 23. et 35.; ergo sacrificia differunt ab oblationibus.

III. Quia ad sacrificium requiritur aliqua rei mutatio, ut statim ostendam: hoc autem non requiritur ad oblationem.

IV. Sacrificare est proprium sacerdotum, oblationes facere quivis potest.

V. Ad sacrificium requiritur altare; ad oblationes minime.

25. His refutatis, notandum est ex Scripturis colligi, quinque ad perfectum et proprie dictum sacrificium requiri: 1^{um}. ex parte ministri: 2^{um}. ex parte materiæ: 3^{um}. ex parte formæ: 4^{um}. ex parte finis: 5^{um}. ex parte loci.

Ex parte *ministri* requiritur ut sit sacerdos, ut ex Apostolo ad Hebr. 5. et ex aliis jam dictis constat. Sacerdos dicitur qui legitima auctoritate ad offerendum sacrificium est deputatus. Ratio est, quia cum sacrificium sit præstantissimus cultus externus, quo divinitas ab hominibus colitur, par est, ut non fiat passim a quovis, sed a personis selectis, ad hoc peculiariter deputatis, ut nomine omnium faciant; per quos et ceteri censeantur numen colere et sacrificare. Unde apud omnes gentes sunt aliqui peculiariter deputati, ut numen, quod sibi delegérunt, publico nomine colant et pla-

cent. Horum est offerre sacrificia. Idem patet ex veteri Testamento, ubi sacrificia nonnisi a sacerdotibus offerebantur.

Confirmatur, quia sacrificium est præcipua cæremonia externa, qua populus in unum nomen religionis conspirat. Per illud enim omnes simul instar unius corporis Deum colunt, et religionem suam testantur: oportet enim alias esse actiones ac cæremonias externas, quibus non solum singuli seorsim, sed etiam tota Res publica junctim, velut unum corpus politicum una eademque religione imbutum, divinum numen veneretur, ejusque sumnum principatum et suam subjectionem profiteatur; eum etiam omnes simul Deo subjecti sint, et totum bonum commune ab ipso dependeat. Itaque cum inter has primum locum teneat sacrificium, necesse est, ut sint aliquæ personæ publico nomine ad hoc deputatae, quæ sacerdotes dicuntur.

Ex parte *materiæ* requiritur res aliqua sensibilis externa, viva vel inanimata: omnia enim, quæ sensu gentium, vel in Scripturis dicuntur propria sacrificia, versantur in re hujusmodi.

Ex parte *formæ* requiritur illius rei peremptio, vel aliqua alia conveniens mutatio; hoc enim potissimum differt sacrificium ab oblationibus. Nam *primo*, omnia sacrificia legis naturæ et veteris quantum ex Scripturis colligi potest, fiebant non simplici oblatione ad altare Domini; nec sola elevatione; sed rei destructione facta ad honorem Dei: quædam enim per occasionem sacrificabantur, ut viventia; quædam per combustionem, ut carnes animalium occisorum, et res inanimatae solidæ, ut simila, sal, thus; quædam per effusionem, ut sanguis, vinum, aqua. Vide c. 1. et 2. Levit. Idem patet ex sacrificiis ethnicorum. *Secundo*, idem colligitur ex ipsis nominibus; nam *sacrificare* Graecis est *θύειν*, Hebreis, *Zabahh*, quorum utrumque significat occidere, mactare: et nomen sacrificandi, etsi dicatur a re aliqua sacra facienda, tamen sæpissime accipitur pro occidere; quod signum est, sacrificium vel ipsa rei interemptione fieri, vel cum ea conjunctum esse. Ratio est, quia cum res perimitur, eripitur usibus humanis, et perfectius videtur tota in honorem Dei cedere, et significare supremum ejus in omnia dominatum, omniaque ab ipso pendere.

Nec obstat, quod in sacrificio panis et vini quod obtulit Melchisedech Gen. 14, non videaturulla facta mutatio; quia etsi Scriptura non explicet quomodo obtulerit, non videtur tamen dubitandum, quin eo modo, quo aliæ res inanimaæ sacrificari solent, id fecerit, nimirum sistendo totum in altari coram Deo; deinde aliquam partem igne consumendo, vel libando: fruges enim in sacrificiis torrii vel incendi solent, et liquida effundi. Nec opus erat totum ita consumi, quando non erat holocaustum, sed particulam aliquam; reliquis reservatis sacerdoti, et aliis, qui sacrificii debebant esse participes; ut fieri solet in hostiis pacificis.

Advertendum tamen, non esse necessarium ad rationem sacrificii, ut res perimitur: sicut enim peremptione rei, ita etiam conversione unius in alteram, supremum dominium, et suprema potestas Dei, nostraq[ue] subjectione et servitus designari potest; ac proinde talis conversio a Deo in sacrificium institui potest; ipsis est enim constituere, quibus rebus et signis coli debeat, et supremum suum principatum significari velit: unde potest quasvis res et quasvis mutationes ad hoc idoneas assumere. Sic in nova lege sacri-

ficiū constituit in conversione panis et vini in corpus et sanguinem Christi, per verba consecrationis; et simul potestatem ad sic offerendum dedit, sacerdotio ad hoc proportionato erecto. Simili modo potuissestituere in conversione aquæ in vinum, vel in sanguinem, lapidis in panem, plumbi in aurum, virgæ in serpentem, serpentis in ovem, etc., data hominibus potestate accommoda ad hæc per verba vel alia signa sensibilia efficienda.

Ex parte *finis* requiritur, ut explicite vel implicite referatur ad honorem Dei; si alio fine fiat, non erit sacrificium; sicut qui caput aperit non causa honorandi, sed irridendi, vel captandæ auræ, non adorat. Ratio est, quia sacrificium est in genere signorum, quibus æstimationem internam excellentiæ alterius et affectum servitutis erga illum exprimimus. Si ergo hæc æstimatio, et affectus desit, non erit verum signum; sed vel non erit signum (ut si non fiat animo significandi); vel erit falsum et mendax; ut si quis interius non habeat pro Deo, cui exterius adulazione vel timore sacrificiat.

Ex parte *loci* requiritur, ut locus sit huic muneri dedicatus; qualem *altare* et *aram* vocamus: dignitas enim operis requirit locum specialem, ab usibus profanis segregatum, ut mos omnium gentium confirmat. Dixi, ista quinque requiri ad sacrificium *perfectum*, prout Scriptura de eo loquitur; quia ad imperfectum quemdam sacrificii modum non videntur hæc omnia necessaria: tale enim fortasse singuli homines in lege naturæ offerre poterant, privato nomine et auctoritate, et eo loco ubi placuisset; nam apud ethnicos simile quid videmus: sed talia non erant perfecta sacrificia; quia perfectio oblationis maxime pendet ex conditione offerentis.

26. Ex dictis intelligi potest quid sit *sacrificium*, et posse hoc modo describi: *Sacrificium est oblatio rei sensibilis a legitimo ministro facta Deo per realem immutationem, ad testandum supremum illius dominium et nostram subjectionem.*

Est oblatio; quia *oblatio* est genus sacrificii, ut docet D. THOMAS q. 85. a. 3. ad 3. et communiter DD., quamvis hoc nomen aliquando stricte accipiatur pro oblatione, quæ solum est *oblatio*, non sacrificium.

Rei sensibilis, ut excludatur interna oblatio, qua mens se, suaque omnia Deo subjicit et offert; qua non est proprie sacrificium, etsi perfectius fructum sacrificii præstet, quam sacrificia externa, et idcirco interdum sacrificium vocetur, ut paulo ante dictum est.

A legitimo ministro; quia sacrificium habet relationem ad sacerdotem; cum enim sit excellentissimus, et publicus Dei cultus, par est ut non fiat nisi a persona adhuc publica auctoritate delecta.

Per realem immutationem; tum quia est perfectissimus cultus; tum quia alias non distingueretur a simplici oblatione.

Ad testandum supremum, etc. duo enim sacrificio significamus et testamur, divinum principatum et nostram subjectionem; et hæc significatio est sacrificio essentialis. Præter hanc quædam sacrificia habent significationem accessoriæ que mystica vel allegorica dici potest; ut sacrificium sanctissimæ Eucharistiae significat oblationem crucis; et sacrificium Melchisedech præfigurabat sacrificium Eucharistiae; et omnia sacrificia veteris legis præfigurabant oblationem crucis vel Eucharistiae: et valde credibile est,

nullum sacrificium instinctu divino fuisse oblatum in lege naturæ quod talem significationem allegoricam non habuerit; omnia enim erant umbræ Christum obscure insinuantes, et mentes hominum ad illum excitantes: hæc tamen significatio non pertinet ad rationem sacrificii, ut sacrificium est. Unde non fuisset, si Adam innocentiam conservasset. Potest tamen dici pertinere ad sacrificium, ut est propria hujus vel illius status cæmonia.

27. Sacrificium tribus modis dividi potest. Primo, ratione *materiæ*; nam *materia* vel erat animal aliquod, vel erat res inanima; eaque vel solida vel liquida. Sacrificium animalis dicitur *victima* vel *hostia*. Oblatio rei inanimæ solidæ vocatur *immolatio*; quamvis hoc nomen etiam ad omne sacrificium extendatur. Oblatio rei liquidæ, *libamen*.

Secundo, dividi potest partim ex *forma*, partim ex *fine*, in *holocaustum*, *sacrificium pro peccato*, et *hostiam pacificam*. *Holocaustum* erat sacrificium perfectissimum; quia in eo tota res in fumum resoluta sursum ad Deum ascendebat, nihilque ex eo usibus cedebat humanis; unde expressius per hoc significabatur omnia ipsius esse, et ab ipso provenire: quare potissimum ad hunc finem fiebat; quamvis etiam interdum fieret pro peccato populi et sacerdotum.

Sacrificium pro peccato partim cremabatur, partim cedebat in usum sacerdotum, qui in atrio templi ex eo vescebantur; offerebatur non pro peccatis internis, sed pro externis quibusdam, ut pro peccatis commissis per ignorantiam circa cæmonias, ut patet Levit. 4. et 5. Item furti, perjurii, calumniæ; ut patet ex cap. 6. 7.

Hostia pacifica partim cremabatur, partim edebatur, tum a sacerdotibus, tum ab iis qui obtulerant. Offerebatur vel in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; et tunc eodem die comedie debebat: vel ad nova beneficia imputranda, et tunc differri poterat ejus consumptio in diem posterum, non tamen ulterius.

Tertio dividi potest ex *fine* in *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium* et *propitiatorium*; quæ divisio parum differt a priore. *Latreuticum* dicitur, quod solum fit ad Deum colendum, ejusque principatum et nostram servitutem testandam; hoc potissimum fit holocausto. *Eucharisticum* dicitur, quod fit in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. *Impetratorium*, pro beneficiis accipiendis; utrumque dicebatur in veteri lege *hostia pacifica*. *Propitiatorium* est, quod offertur pro peccatis, et pro peccatorum poenitentia ac flagellis avertendis. Hoc idem est quod *hostia pro peccato*.

O. A. M. D. G.

CONSPECTUS TOMI TERTII

PARS POSTERIOR.

TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

DISSERTATIO I.

DE NOTIONE ET DIVISIONE JURIS.

CAPUT I. — DE JURE, UT EST REGULA JUSTI, GENERATIM.

Pag.
4

ARTIC. I. — <i>Præcognita generalia de jure civili</i>	4
I. — Jus civile in genere, est jus positivum humanum auctoritate Principis, vel magistratus secularis potestatem legislativam habentis, conditum ad politicam Reipublicæ civilis gubernationem, pacem, felicitatemque temporalem	4
II. — Jus civile in commune et particulare, seu statutarium dividitur	5
III. — Corpus juris civilis est usitatus ille Librorum fasciculus, quo jura civilia et politica, horumque cognitio continentur	6
§. I. — <i>An et quomodo in Imperio jus commune sive romanum obliget?</i>	10
Obligat ex recepto, ac quidem auctoritate publica	11
§. II. — <i>Quæ sit auctoritas juris communis comparative ad jus provinciale, vel statuta locorum?</i>	13
1º. Jus romanum, vel Justinianum, utut receptum, sic tamen non obligat, ut cedere ei debeant leges provinciales	13
2º. Cedit e contra, <i>per se loquendo</i> , lex provincialis legi communi Imperii	14
ARTIC. II. <i>Præcognita generalia de jure canonico sive ecclesiastico?</i>	18
I. — Jus canonicum est jus positivum a summis Pontificibus traditum, vel approbatum in ordine tunc ad publicum Ecclesiæ regimen, ac dirigen- dos fidelium mores actionesque ad cultum divinum, juste pacifice- que vivendum, sicut ultimato eos perducendos ad finem ultimum supernaturalem, qui est beatitudo sempiterna	18
II. — Jus canonicum in Corpore juris clausum sex constat partibus; Decreto <i>GRATIANI</i> , quinque libris <i>Decretalium</i> , sexto libro <i>Decretalium</i> , Cle- mentinis, <i>Extravagantibus</i> , tum <i>Communibus JOANNIS XXII</i>	20
III. — <i>Præter partes juris canonici in Corpore juris clausas, sunt extra illud sequentes: 1. Concilium Tridentinum, 2. Bullarium magnum, 3. Re-</i>	
III. p. 2,	31